

27
N. 342, 10

X 1863268

II 9
936

QUÆSTIO STATUS

De

JURE ET NATU- RA BEANO- RUM

Quam

PRÆSIDENTE

ORBILIO PLAGOSO,

*Cornutorum monstrorum Domitore
famosissimo.*

Pro consequendo jure Pennalium adferet & tutabitur
TYRO DE AFFLICTIS

*Ex eo tempore quis incipit jure militari testari posse ex quo in numeros relatus est,
ante non. Proinde qui non in numeris sunt, licet etiam lecti tyrones sint, & publicis
expensis iter faciant, nondum milites sunt, debent enim
in numeros referri. l. 42. ff. de milit. testam.*



ANNO M. DC. LXI.

28



STATUS

LIBERTATE

RA BEANO

RIM

FRANCIA

ORBILIO PLAGOSO

Comitatus in Provincia

Francica

Patronatus in Comitatu & in

TYRO DE AETHIOPIS

Faint, illegible text in the lower middle section, possibly bleed-through or very faded print.



LIBRARIUS
J. J. J. J. J.

ANNO MDCCLXX

etc

mf



STS STS STS STS STS STS STS STS STS STS STS STS STS STS STS STS STS STS STS
 STS STS STS STS STS STS STS STS STS STS STS STS STS STS STS STS STS STS STS

THESIS PRIMA.

I.



Ractaturus materiam Bearonii,
 (quam totam practicabilem esse, in
 propatulo est,) operæ pretium me fa-
 cturum arbitror, antequam ad eius pe-
 netralia accedam, more Icturum in
 investiganda notatione, id est, inter-
 pretatione nominis, quo res de qua a-
 ctum sunt appellatur. *l. i. in pr. ff. de reb. credit. laborare,*
 non quia velim cum rædiosa nimietate, verbosos cum-
 mentarios facere nec volo:

Verborum ambagibus uti

Sed potius brevibus, quod res est, dicere verbis.

Sapiens enim ex paucis multa intelligit, ac longitu-
 do orationis sæpè mentem involvit; sed quia interpreta-
 tionem promittentibus inconveniens est omissis initiis
 protinus materiam ipsam tractare *l. i. ff. de O. I.* inò turpe
 est determinare velle, quam terminos intelligere.

2. Initio autem constare arbitror Beari verbum non
 natum h. e. simplex, sed ab origine factum duplici, & jun-
 ctum sive compositum esse. At unde compositum sit de
 eo non constat inter Philolgos; Alij enim eum à Bove &
 Asinos (quasi Bos Asinus) Alia à Beare, quod beet Studio-
 sos; Alij ab anu, quasi anum oleat, & per consequens hir-
 cum juxta græcum illud Adagium *yeaus avabues* deducunt.

3. Verùm in hoc opinionum conflictu, Pragmatico-
 runa

A 3

runa

sic) niniu.
rum Etymologiam retinendam esse arbitror, qui Beanum,
quasi bis asinum dici putant, eo quod non solum ab utero
materno & Physicè, sed etiam moraliter & Ethicè asinus
sit; Pro quibus militat omnium Academiarum Brocar-
dicum:

Beanus est asinus nesciens vitam Studiosorum.

4. Postquam igitur unde Beanus derivetur, conse-
quens est ut subjiciamus, quid sit Beanus, sic enim animad-
vertetur de qua quæritur, ut Julianus in l. si is qui 13. §. 3. ff.
de reb. dub. Ergo Beanus est monstrum putidum gestans cor-
nua extra Cranium.

5. Dico Beanum esse monstrum putidum, quippe con-
tra formam hominis natus est. Homo enim cum sine den-
tibus. l. cui dentes, ff. de ædil. edict. Beanus verò dente Be-
anino nascitur, utiq; monstrum est.

6. Dico putidum, & per consequens morbosum, non
enim minus olet, quam hircosum *ῥεῖροντα*.

7. Deinde in definitione dicitur, gestans Cornua extra
cranium, in quibus verbis consistit forma specifica Beani,
quà distinguitur à Pennali, qui quidem monstrum est,
cum natura volens facere studiosum, aberravit à scopo
suo, & fecit eum Pennalem: sed Cornua amplius non ha-
bet, quamvis cicatrices evidentes amissa Cornua, in illius
fronti spicio reliquerint: Et sanè tanta est differentia, quan-
ta inter Schapham & navim, materiam primam & secun-
dam.

8. Quamvis igitur Beano abscindantur Cornua, inde
tamen non statim Studiosus sed Pennalis efficitur, quoni-
am gradatim honores deferuntur. l. ii. ff. de muneribus &
Honoribus t. t. C. ut dignitatis ordo servetur. Neque repen-
te aliquis fit summus, c. pen. dist. 2. §. hac quæ de charitate, &
gloriam præcedit humilitas. sed en tibi definitionem à
Poëta.

Quod

id hodie parum observat

*Quod si nosce cupis quid sit, vel quale Beanus,
Hanc rem monstruosam, monstruoso percipe versu?
Monstrum horrendum, ingens, in forme bove atque asino
ortum,*

9. At quæris quid *Causa sit, quod ipsi Beani hæc Cornua non viderint?* Respondeo: Suis, Sui, & asinus asino est pulcherrimus, præsumitur tamen, quod Cornua videant; Nemo siquidem ignarus est conditionis ejus, cum quo quotidie converiatur; Quapropter ne Cornua omnibus appareant, pilcum, tametsi honestum virum prætereant, non detrahunt, si ab aliis detrahatur, illi modicè extrema tangentes, cornibus suis parcunt, & gravitatis Beanicæ Specimina edunt, Imò magis fugiunt Studiosum vel honestum virum, quam Diabolus (quod ajunt,) Crucem, & aquam lustralem & annosam vetulam. Conantur etiam aliis modis suspicionis molem amoliri; ac frustra, simia est simia etiamsi aurea gestaret insignia.

10. Extra ordinem dum nos Cornuum mentio detinet, inferemus hanc quæstionem, *Anne si quis alicui Studioso dicat, Tu es Cornutus, tibi nondum refecata, Cornua actioni injuriarum subiugari queat.* N. Inverecundia enim esset pro tali injuria adire præsidem; quia fortè poneret rem in derisum; atque ita potest Injuriatus, propria autoritate se ulcisci, & injurianti alapam inferre. Thom Gramm. decis. 14. n. 11. Paul. de Castr. cons: 190.

11. Definitionem subsequitur eorundem subdivisio, dividuntur autem secundum numerum ternarium, tanquam satis perfectum *In ArchiBeanos, Beanos & Beanulos:* Quæ graduum distinctio apprimè est utilis.

quoniam conducit ad multa, In ea tamen regionis qualitas imprimis consideranda venit. l. 13. §. 12. ff. de edil. Edict. Ob astrorum in quidem influentiam, Diversæ regiones diversos Beanos exhibent.

12. *Archibeani* sunt quibus malum planè in xeteratum, quique cornua habent plurima, tetrum odorem exhalantia, unde Polycornes vocantur. Tales sunt in illustri Schola Herborense, Bremenſi, Steinfurtensi, Coburgensi, olim stathagenti.

13. *Beani* in specie dicti sunt, qui mitiora habent, accidentia, & quorum Cornua aliquid medullæ habent, Tales inveniuntur in saxonia Misniæ, Chemnici, Halæ, Brunsvigæ, In Westphalia Lemgovia, Lippia, Mindæ, Hervordia, & novissimè Oldendorpia. In Hassia Hirsfeldia &c. In Pomerania Stetini, In Silesia, Breslavia, Gorlicæ, Dantisci &c. Quibus adde Hamburgum, Lubecam; & in summa horum per totam Germaniam est magna frequentia,

14. *Beanuli* sunt, qui aliquid de forma Studiosorum participant, quales sunt qui hodie in pædagogeis Universitatum commorantur, hi enim cum quotidie circa latera Studiosorum versentur, præsumuntur imitari mores & facta illorum: Studiosorum enim ad exemplum, totum componitur pædagogium, ita ut meritò Studiosorum *Simia* vocari possint; quamvis adhuc ab illis magno discrimine distent.

5. Quænam verò cujuslibet Beani natura sit, certa regula non potest definiri firmiter. At quia ex nationum diversitate, morum diversitas colligenda est, l. 31. §. 21. ff. de edil. Edict. per longam experientiam ita observatum est, quod nimirum Bohemi, Ungari, Helvetii, & Frisiones sint agrestes & Barbari, Westphali avari & duræ cervicis, subiles tamen & distinctionum plenissimi, quia pleriq; Ramilla.

Saxo.

saxones biblicaces & contentiosi, Brunsci Wicenses elati & arrogantes, Rhenani & Hassi simplices, & modico contenti, Silesii stolidi & superbi, Holsati & Marchici pigri, Borussi timidi Svevi, loquaces & effeminati, Franci gloriosi, Pomerani & Mechelburgici audaces & temerarij. Tot tamen diversi Beani sunt, quod in rerum natura diversa sunt Capita, adeo ut certam determinationem non recipiant.

16. Atq; haecenus de Definitione & Divisione Beanorum, sequuntur eorum Jura & privilegia, quae considerantur vel *intra* vel *extra* territorium: In territorio consistunt, in incremento & statu; Beanus enim in Gimnasio tantum potest, quantum caper barbatus in stabulo, aut quivis Gallus in suo sterquilinio. Et notant Dd. de tali Beano nihil dici posse, quam quod dicitur de polo antartico, quia non est nostri hemisphaerij: Extra Consistorium consistunt in decremento & casu.

17. Hinc quaeritur plausibiliter. *An Studiosus extra Universitatem possit cum Beano fraternitatem contrahere?* Et dic quod sic; Gallus enim in sterquilinio multum potest, & Beanus in Schola est Monarcha, totumq; continens, tantumq; potest (si parva licet componere magnis) quantum Studiosus in Academia, adeo ut etiamsi mille Studiosos ad fraternitatem invitaret, nemini dicere liceat: Domine Beane quid facis? Quod si vero Studiosus cum Beano in fraternitatem biberet, degradatione non indignus esset, utpote qui tam crudelis fuit, ut famam suam neglexerit, quae gravior, quam vel oculorum, vel omnium bonorum amissio l. 26. ff. si quis omiss. Caus. l. 8. C. de decur: imò cum in ipsa vita pari passu ambulare dicitur l. 9. ff. de manumiss. vind. l. 8. §. pen. ff. de eo quod met. Caus.

18. Sed

18. *Sed an Studiosus ejusmodi fraternitatem cum Beano contractam servare teneatur, questionis est?* Et rectè negatur: Quod enim initio vitiosum est, tractu temporis non potest convallescere l.29 ff. de R. I. Deinde amicitia & fraternitas non est, nisi inter quos arctissima intercedit charitas. arg. l.223. ff. de U. S. l. 8. §. pen. ff. de castren. pecul. At inter Studiosum & Beano naturalis est *ambrosiana*. Deniq; pacta quæ lædunt honestatem, existimationem, verecundiam bonisq; adversantur moribus nulla sunt. l. 6. C. de Pact. l. 15. ff. de Condit. Inst. At hæc sunt talia. Ergò.

19. Interim illi de castino die non sunt solliciti, sed ritè circumvagando imitantur catulos, in curta tunica picã saltando, potando boves, cantando asinos, disputando Aristotelem; Canum etiam instar, ipso meridie quemvis murum permingunt, nec ipsis muris templi parcunt, præclari Diogenis cynici imitatores, Sole postquam occidente cum cythara Schustrati spaciantur per omnes plateas sonando in hac *den Gassenhawer* / vel *Dannenbaum* in illa, *salve mi puella*, vel *Heckerling und Haberstroer*; & quando sentiunt ad fenestram fortè amasiam pulcherrimam, (non enim libenter aspectant pitecæ & spinturnicia ut vocat Plautus in mil. glorios. Quippe cum hæc pertineant ad Scotum Turpillianum unum Passamezum cum Pergemasco) memores catonis versiculi:

Fistula dulce canit volucrem dum decipit auceps. Quibus feliciter, ut illi putant, peractis, ordine ut fues domum redeunt & tanquam Antipodes diem pro nocte habent, continuè clamantes egregieq; bibentes, ne anima stet in sicco, Ut ait Glos. in c. si quis §. fin. 32. q. 4.

20. At

20. At sequenti die, quando ad Scholam veniunt. En in continenti Rector vir gravis & austerus (Senatorem Romanum diceret) tanquam Prætor Villanus, manu una baculum, altera virgam tenens absentes enumerat, petulantes provocat, omnesque secundum ordinem ad scamnum collocat; Proh Deum immortalem! qualis ibi Musica; omnes figuraliter, quasi uno ore intonant; Rogamus te sanctissime Rector, condona nobis: Hic tamen nihil commotus illam cantiunculam præcinit:

*Recumbite, Recumbite,
Et ligulas resolvite,
Pœnamq; virga accipite.*

Quapropter scamnum declinant, Custos Caligas detrahit, & Rector cum serenitate verbera ingeminat. Ibi resonat in laudibus, Eheu Eheu. At At. Væ Væ. At ille

*Hæc pœna est vestri criminis Et nocte dieq; bibitis
Qui per plateas curritis Hinc cautiores eritis
Amasiasq; queritis, Post hac domi manebitis.*

Quibus dictis det illis levamen, & accepta mercede eunt in pace, amen.

21. Verum cum odiosa sint restringenda & favores ampliandi, hæc etiam nostrum scopum principaliter non feriant, transeamus ad ea, quæ magis sunt de pane lucrando: Ea autem in detrimento ex casu consistere diximus, Quando nimirum Beanus, relicta Schola, Academicæ Studij iter ingreditur.

22. Occurrit hic anceps quæstio, *An Beanus possit esse Pedagogus alterius?* N. incivile enim est eos quibus profusa tantummodo administratione periculum imminet. *l. fin. C. de legit. t. ut.* quique ab aliis reguntur, aliorum

B

cu-

curam vel pædagogiam suscipere §. *item 13. Inst. de Excus-
tut.* Consulo ergo Beanis, ne affectent id, in quo vel in-
telligunt vel intelligere debent, infirmitatem suam sibi,
vel aliis periculosam futuram. *l. 8. §. 1. ff. adl. Aquil.*

23. Quamprimum Beanus Academiam ingreditur, apud conterraneos suos se valdè insinuat, illisque propo- nit, quâ mente eo se contulerit; quod hoc hortatu paren- tum, cognatorum & præceptorum fecerit: Ipsi, prout par est, omnem pollicentur operam, imò relictis etiam causis gravissimis, totam rem ad Companiam deferunt, qui vo- luntarium promittunt auxilium: Beanum enim à Bea- nismo liberans exercet opus charitatis, & mercedem re- portat cum gloria. Moribus autem invaluit, ut Cornu- torum monstrorum Domitores (quos alibi Pedellos, ali- bi Depositores, alibi Cursores, alibi Patres Beanorum vocant) adhibeantur, quorum proprium in quarto mo- do est deponere.

24. Hinc controversum videmus, *An Depositor sine presentia Studiosorum possit Beanum deponere?* Dicite quod non: Nam ad Judiciij Constitutionem requiruntur tres personæ, Judex, Actor, cujus vices Studiosi sustinent deponendum Beanismi accusantes, & R E U S. *c. fronsf. verb. in omni. de V. S.*

25. *Quid si verò Pennales Studiosorum loco adfuerint?* Respondeo: Cum Pennales, utpote qui legitimam perso- nam standi in iudicio non habent, actorum partes sustine- re nequeant, ideò censeri depositionem factam in fraudē Studiosorum, ac ipso jure nullam esse *arg. pr. Inst. Quib. ex Caus. manum*: Sed hoc recipit distinctionem, nimirum quod depositio, quoad ipsos Studiosos irrita sit, quoad ipsos v. pennales pro valida habeatur, ita, ut si hoc prætex- tu, quod in fraudem Studiosorum deposuerint, Depositos
in

in Beanismum revocare velint, non audiantur, quia propriam allegarent turpitudinem factoque proprio contravenirent. *arg. l. 4. de revoc. don. l. 3. C. de Transact.* Ideoque pro cautela observandum: Depositionem tum demum valere, si eam Studiosi rati habuerint *arg. l. 60. de R. I.* præsertim quoniam rati habitio hoc in casu mandato comparatur, & retrò trahitur ad illud tempus, quo Pennales negotium Studiosorum gerere ceperint. *l. 152. ff. de R. I.* Quod tamen ita intelligendum, Servatis nimirum servandis, quoniam Pennales suo facto Studiosorum conditionem non possunt deteriore facere. *lib. 74. ff. de R. I. vel lucrari cum damno eorum l. 6. §. fin. ff. de Jure dot. l. 8. §. si quis. ff. de transact. l. 14. ff. de Condict. in deb. l. 10. §. 10. ff. nequid in publ.* Ideoque ad præstationem ejus quod interest tenentur.

26. Postquam ergo tempus venit Depositioni destinatum, conterranei primùm conveniunt (ubi enim cadaver ibi congreguntur aquilæ) & præmissis præmittendis Beano de statu Academico gratulantur; Beanus, crumenam habens turgidam & hydropicam, plenam der Mutterpfensning/prout fert crumena, ad satietatem Vinum vel Cerevisiam, habita ratione loci, apponere cogitur. Est enim Studiosis Monosyllabus, nisi is pauper sit & non solvendo, quâ ratione luat in Corpore, qui non habet in ære *arg. l. 35. ff. de injur. l. 1. §. fin. ff. de pan. l. 7. §. 3. de Jurisd. l. fin. ff. de in Jus vocand. l. ult. in fin. C. de sepulch. viol. l. ult. in fin. C. de mod. mul.* interim Depositor habens nasum Rhinocerotis vel Canis venatici, in Saccum colligat suam suppellectilem, & gaudebundus totam Compagniam sequatur.

27. Quamprimum hypocauftum vel domum ingreditur, dat mille ronchas; Beanus stans post fornacem, omnia cum admiratione accipit, & demissis oculis ridet aliquantulum, immemor versiculi; *Væ illis qui mane rident,*

receptioni
merum, Pen

Nam eorum gaudium in tristitiam convertetur. Depositor
ronchas ingeminat, & hinc inde cursitando, quærit cau-
sam mali odoris: Ecce Beanus post fornacem nobis hæc
otia fecit: Ibi Rhodus, ibi saltus.

28. Hoc loco gliscit quæstio, An in actibus Depositori-
is possit fieri dispensatio, ita ut certa pecuniæ summa in vicem
Depositionis exigatur? Neg. 1. Quoniam hæc dispensatio
Juri communi est contraria ac proinde invalida arg. § pen.
inst. de Jur. nat. 2. Dispensarent contra propriam consci-
entiam, quoniam ipsi testato nemini parciturum, jurave-
runt; Qui autem facit contra conscientiam ædificat ad
gehennam, c. literas extr. de rest. Spol. 3. Honor non po-
test pretio nummario æstimari. l. Julianus 26. ff. si quis a-
miss. caus. 4. Ob mores non debet fieri pecuniæ exactio.
l. 1. §. taceat. C. de rei Uxor. act. Atqui hæc ita recepta sunt
ex communibus calculis approbata, in foro quoque fre-
quentantur.

29. Quod cum Depositori ex praxi quotidiana explo-
ratum sit, veniam impetrare non assolet, sed motu pro-
prio in Beanum irruit, naso suspendit, vexationibus eum
ludificat, auriculas ipsi tendit, alapis benè exonerat, & ni-
hil non facit, quo Beano pellem Marsiæ detrahat, ejusque
libidinem & arrogantiam frenare ac domare, & Juveni-
les calores coarctare possit.

30. Quid verò si Depositio contingat in quatuor festis,
aliisque diebus Festivis, potestne Depositor nihilominus pro-
cedere? Videbatur negandum, eò quod diebus festis &
solis l. 7. ff. de Feriis, omnes actus tam publici quam pri-
vati quiescere debeant, l. 8. C. eodem: His tamen nihil
obstantibus contrarium verius est; Quoniam d. l. 7. in-
tel-

telligenda est de his actibus, quæ contentiosæ Jurisdictionis sunt: Nam quæ voluntariæ, in feriis rectè expediuntur, ut opera misericordiæ; Item quæ statim expediti, vel pium vel utile est *Wescnb. in parat. D. de feriis n. 5.* Ut & ea quæ ad disciplinam militarem vel Scholasticam pertinent, *arg. l. 9. C. de fer.* Quæ sententia ut est communis, ita multarum Academiarum præjudiciis confirmata, usque recepta est, ut propterea consulendo & respondendo ab ea non sit recedendum.

31. Cæterum quando Depositor Beanum verbis benè exagitavit, ipsa depositionum jocularia aggreditur, ubi non tam verbis quam verberibus opus est (Phrygum enim videntur similes, qui non nisi verberibus consueverunt emendarier) Ad quam ritè perficiendam Gazophylacium, plenum instrumentorum, ante januam repositum habet quod ipse Beanus afferre tenetur, in quo reservantur omnis generis instrumenta, ut puta Dolobra, Forcipes, Serræ, Secures, Pectines, Scuticæ, Ascicæ, &c. Et quod principaliter attenditur, servatur ibi ex Beanorum reliquiis, Pileus Bacchanticus ex variis coloribus confectus, & duobus buccinis ornatus, item Patris Beani dens, ejusdem ex Archivis atramentarium (vulgò Pennal) & funis multus talis connexus, quæ omnia quando ipse pro more exponit, missitando emittit altum suspirium,

O passi graviora dabit Deus his quoq; finem.

Hic fit ferè Comediæ illius initiū, jam variis instrumentis bucerorum monstrorum illorum domitor incipit uti, ut illa domet, cicuret, leviget, expoliat, à feritate pristina abstrahat. Jam Beanus facit funambulū artificiosum, jam palæstritam fortem, Cochleatorem eximium, jam præ-

conem disertum, Musicum flexanimum, jam illum do-
labra levigat, jam securi exasciat, jam pectine ligneo il-
lius crines disseminat, jam ramos inutiles à trunco defor-
mi segregat, jam pileo Bacchantico eum exornat, jam
forcipe dentem Beanum magna vi extrahit, & summam
nihil intentatum relinquit, quo Beanus, veluti informe,
inutile aliquod lignum expoliatur, ornetur, & ad aliam
formam recipiendam habilis reddatur.

32. Ab hoc loco non planè aliena videtur hæc quæ-
stio vel Controversia, An Pennalis possit interesse actioni-
bus Depositoriis? Quod negandum videtur, quia par in
parem non habet Imperium. l. 13. §. 4. ff. ad Trebell. l. 4. ff.
de recept. arbit. Ne tamen simus censores rigidi, contra-
rium hac cum limitatione admittimus, ut vel fragmenta
colligat: quod nostri vocant *die Späne lesen*: vel certum
pondus æris solvat: Non enim inconsultum est, juxta an-
nosas arbores plantare novas plantas, quæ post interitum
vetustarum in earum locum succedant, licet Pennalibus
vota non tribuantur, sed eadem penes Studiosos rema-
neant; Plus enim valet umbra Studiosi, quam gladius
Pennalis, donec tandem illi magis magisque erudiantur,
longoque usu confirmentur.

33. Huic vicina est quæstio, An virgines in Depositi-
onem vocari possint & debeant? Dubium exinde oriri vide-
batur, quod ex sententia Cujacii & aliorum Ictorum,
mulieres homines non sint per l. 38. §. 5. ibi mulier aut ho-
mo ff. de pen. neque ad imaginem Dei creatæ secundum
Canonistas in c. hec imago 33. q. 5. c. 13. Atque ita cum Be-
anis in pari gradu. At horum sententia cum recepta non
sit, contrarium determinandum est. Nihil enim in depo-
sitio

*plan quod
mar Genæ,
7.
cata ad Dei
nem - Gen. 1)*

sitione omittendum, quod concernat vexationem, & quod inde oritur, correctionem Beani, is enim centuplo majorem æstimat illam vexationem, vel injuriam vel quasi, quæ fit in conspectu virginum, quam eam quæ fit hisce remc tis.

34. *Sed quid si Virgines eorum misereantur, & hoc nomine Depositori supplices fiant, petentes ut mitius cum illis agatur, Anne illarum petitioni locus dandus.*

Resp. Etiam si de illis solennitatibus, quæ sunt de essentia actus, nihil remitti possit vel debeat; Quia tamen Studiosi etiam libentissimè non rogati virginibus gratificari & nihil non die nocteque in illarum gratiam facere assolent, ita ut tale quippiam virginibus, aut eo etiam amplius, denegare sacrilegii instar habeant. Ideoque illorum arbitrio relinquendum hoc puto, ita tamen ut necessaria requisita actus adhibeantur.

35. Quod ad Beanos attinet non refert, num Nobiles five ignobiles sint? Natura enim homines omnes sunt æquales. Depositor tamen secundum qualitatem personæ manus admoveere debet, ita ut veteranus & major, majorem correctionem sustineat. Difficile namque est Canem vetulum assuescere loris *arg. l. 37. ff. de edil. edict. minor verò minorem, nisi malitia ætatem suppleat l. 3. C. si min se maj. dix. quam laudando augeri non oportet. l. 1. §. pen. in fin. D. de serv. corrupt.*

36. *Quæritur An Beanus, quando tam verbis quam verberibus à Depositore vel Studiosis exagitur, exhibitur, exasciatur, dedolatur, & miserabiliter tractatur, sese verbis vel facto de-*

Hic Depo.
oppositio
est

defendere queat? Et videtur dicendum quod sic; Quia vim vi repellere omni jure licet *l. ut vim 3. D. de I. & I. l. 1. §. vim vi. ff. de vi arm. l. 3. C. ad. L. Cornel. de Sicar.* Sic & defensio est Juris naturæ *l. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil. l. 1. §. 11. ff. si quad. paup. fec. dic. c. pastoralis. de re judic.* At contrarium verius est. Nam injusta est defensio, ubi justa est offensio *l. 13. §. irreverens ff. de re milit.* Qui etiam ea facit, quæ sunt sui officij, suoque jure utitur, nemini vim facit. *l. 3. §. 1. ff. quod met. caus.* Deinde etiam Beanus sic resistendo laboraret contra propria commoda, cum ea quæ facit Depositor, in illius utilitatem & honorem faciat, ideoque pro Doctrinali hic observandum: Si fortè eò audaciæ & temeritatis procedat Beanus, ut resistat executioni Juris, tunc oleum Camino addens, aliquantò severius est tractandus, & quod aliquoties factum memini, communi & conjuncta opera erit tunc probè dedolandus: Ideoque ut patientes sint Beani moneo, memores illius dicti: Quod bis patitur, qui patienda impatienter patitur.

37. *Sed quid si Beanus in actu lacrymas flebiliter emittat, an aliquanto mitius erit cum eo agendum?* Resp. Nulla fides lachrymis, frons, vultus, supercilium sæpe fallunt, & Beani ad lachrymas oculos erudiere suos. Siquidem in Scholis patriis in more sibi positum habuerunt, ut Præceptorem, quando cæsim res agenda erit, præcibus & lachrymis exorarent, & à severitate Orbiliana revocarent. Ideoque lachrymas parvi faciant & inexorabiles maneant.

38. Circa prædicta indagare licet, An Depositor, si aliquem in Depositione vulneret, vel debilitet,
actio-

actione L. Aquil. convenire possit? Affirmatur, scire enim debet non faciendæ injuriæ, sed vexandi causa esse adhibitam modicam depositionem jure Universitatis, non vi potestatis concessam l. 5. §. fin. ff. ad L. Aquil. ne tamen corpus cicatricibus deformetur l. 17. §. 1. ff. de usuf. l. 16. §. 12. de pœn. cum alioqui nimia depositionis sævitia, quæ moderamen legitimæ depositionis excessit, culpæ annumeratur, quamvis à dolo excusandus sit. l. 16. ff. ad L. Aquil.

39. Ut autem non ex quovis ligno fit Mercurius, ita nec ex quovis Beano Studiosus, neque immeritò: Materiam enim adesse non sufficit, nisi apta & habilis sit, quippe paria sunt non esse, & esse inutilem, *arg. c. inter. de transl. l. 6. D. Quisatisd. Cog. l. 1. §. 1. ff. quod cujus Univers. n. Quemadmodum igitur ex nihilo nihil fit. l. 7. §. 7. ff. de acq. rer. do.* Ita neque ex bardo & rustico potest fieri Clericus, Merentibus namque virtutum præmia tribui convenit *l. 4. C. de Stat. & imag.* Quapropter Depositor Beannum ad examen provocat, eumque per 12. prædicamenta examinat. Themata sunt ejusmodi; Beane explica versum:

Difficiles lectu mihi Mars facit improbus verbas,

Et rursus, scande mihi hunc versum

Is cui bydra hæc commendat, fercula sana.

Item cum examinentur regulæ Grammaticæ:

LEX, ars, mulier, sunt generis fœminini,

Item Riß mir den Ellenbogen/

Ich hab die Kunst in Ermel geschoben.

Per acto examine Studiosi Depositorum de absolvendo

C

sol.

sollicitant; Frustra enim dicunt, fiunt per plura, quod potest fieri per pauciora. *l. 1 §. quod met: causa. l. 39. §. 1. de appel.* Quapropter apponitur Serra duas habens pedes, supra quam Beanus sedere tenetur, & dens Beaninus ei extrahitur. Ut verò vulnere illato medela adhibeatur manipulus cinerum ori immittitur, ne quid putredinis ibi in loco extracti dentis concipiat.

40. Hoc in loco in quæstionem illud opportunè venit. *An valere debeat consuetudo, qua Beani denigrata facie, ornatique pileo Bacchantico, per plateas cursitare, & mirabilia proclamare tenentur?* Durum quidem est, verùm lex consuetudinis ita scripta est l. 12. ff. qui & à quib: manum: quamvis in praxi hodierno Jure parùm attendatur, quod sanè ratione non caret, Ne scilicet aspectu suo trunculento & horrendo prægnantibus horrorem incutiant, & abortum causentur.

41. Nec in utilis est Disputatio. *An Depositor id teneatur restituere, quod Beano durante depositione aufert ex marsupio.* N Qui enim vexationis causa rē contrectat, furtum non committit, l. 39. D. de furt: maleficia siquidem, voluntas & propositum distinguunt. l. 53. ff. eod. Quod tamen intelligendum est de rebus levissimis, modica siquidem prætor non curat. *arg. l. 4. ff. de in integ: rest:* nisi forte annulum aureum in marsupio habeat, hic enim cadit in commissum, ex ratione quod Beanus jus aureorum annulorum non habeat. t. t. de. Iur. aur. annul. Cauti igitur sint Beani, ne quicquam retineant, sed omne quod habent, uni ex conterraneis committant, qui illud finito

finito actu, restituere possit. Antequam verò ad abso-
lutionem, ab actu solemnè depositionis progressus fiat,
necessum est ut Beatus, qui ardentibus desideriis cupit
nova Creatura fieri, novum hominem inducere, atque i-
ta ex vita Beatorum discedere, jam jam moriturus testa-
mentum suum & ultimam voluntatem conficiat, cum
magni intersit hominè cum testamento discedere *l.*
Julianus in pr. ff. de ad eund. hered. l. 1. C. de Sac. S. Eccles. Ide-
oque Beatus cuilibet ex præsentibus aliquid legati no-
mine relinquere solet, suæ erga illos affectionis & bene-
volentia declarandæ gratia.

42. *Sed an servandum erit, quod ultima sua volun-
tate cuilibet testato relinquit?* Id quod stricto & scripto
jure negandum videtur, quoniam ut servus Juris com-
munionem non habet. *arg. l. 20. §. Servus ff. de testam.*
Sed mortuo comparatur *l. 59. §. 2. de Cond. & Demonst.*
& pro nullò habetur *l. 32. D. de R. I.* Jure tamen con-
suetudinario testamenti factionem habet, quæ consue-
tudo servanda est, cum vim legis habeat. *l. 38. ff. de
LL.* Nec refert, quod multa promittantur, quæ vel in-
decora vel impossibilia sunt, quarum generaliter nulla
est obligatio *l. 26. ff. de Verb. Obl. l. 185. D. R. I.* *utile enim per
inutile vitiari non debet, c. utile de Reg. Jur. in 6.*

43. Tum demum Beatus in genua procumbit, &
Depositor querit, quomodo mori velit; Depositus
respondit, *wie ein Bachant:* instat ille, *Quomodo
velit resurgere, respondet wie ein novellus Studiosus,*
Atque ita passionis suæ ultimum epilogum consecu-
tus est. Cui coronidis loco Absolutio à Majoribus
ad nos traducta adjungitur. Quæ regulariter fit

à Philosophiæ Professoribus & Magistris, Qui longa præmissa oratione Depositorum Musarum & Charitum Sacris initiantur, & accepto Sale SAPIENTIÆ & VINO LÆTITIÆ, additis illorum rituum explicationibus, à Beanismo absolvunt. Reliqui novitio gratulantur eumque (pro tempore) honorant.

44. Pulchra hic oritur quæstio, quæ tamen propter Beanorum tenacitatem, rarius in facto contingit? *An si Beanus ut mitius secum agatur, velit Depositori dare thalerum imperialem vel aureum, eundem accipere licitum sit ac permissum?* Et omninò tenete quod non. Non tantum enim non debet corrumpi Depositor, sed hujusmodi venales Depositiones ipso jure nullæ, atque ideò Beanus iterato Depositioni debet subjici, quod licet in praxi non servetur, de jure tamen verissimum est *l. venales 7. C. quando provoc: non est necess.* Limitandum tamen hoc est in Casu necessitatis, si forte Depositor, propter temporum injuriam salarium non accipiat & magna sit Beanorum raritas, adeoque non habeat, unde conjugem & liberos alere possit, necessitas n. non habet legem *l. 2. de obser. jejun.* & necare videretur, qui alimenta denegat. *l. necare. ff. de ag. & al. liber:* Non tamen durius debet tractari Beanus, quando Depositorum muneribus corrumpere tentaverit, cum ignoscendum sit ei qui sanguinem suum qualiter qualiter redemptum voluit. *l. 1. ff. de bon. eorum qui ante sent: vel mort.*

45. *Quid verò dicendum: Si Depositor thalerum vel aureum Beanum acceptaverit, nihilominus tamen Beanum pro dignitate exceperit, pote-*

poteritne condictioe causa data causa non secuta, id quod datum est repeti? Et dicite quod non: hæc enim actio locum non habet, ubi ob non secutam causam turpem & inhonestam aliquid datum est l. 1. ff. de Condict. Caus: dat, caus. non sec. l. 1. §. 1. l. 2 §. 2. ff. de Condict: ob turp: Caus: ne verò Depositor ex delicto suo commodum sentiat debet dare Schorum aut alia ratione Studiosorum arbitrio puniri arg. l. ult. de extr: Cognit: tot. tit. C. de pœnis Iud. qui malè Iud. & simul Menoch. de arbit. Iud. quæst. conf. 339. & seqq. Quod quamvis quidam tum demum obtinere existiment, si Depositor justo mitius egerit cum Beano, cum optima vexandi ratio sit, pecuniam à Beano accipere, eundemque verberibus benè exēipere; hæc tamen opinio cum ad delinquendum possit depositorem invitare, non satis tuta est, unde extra casum necessitatis indistinctè contrarium tenete.

46. Succedit alia quæstio: An Depositor vi- ces suas alii demandare possit? Et cum Deponendi potestatem habeat, eo ipso quod est Depositor, adeoque hæc potestas jure magistratus competat, dicendum videtur alteri mandari atque committi posse hanc potestatem l. 1. ff. de Offic. ejus cui mand. est jurisd. Sed hoc non obstante contrarium verius est, cum enim omnes ad deponendum non simus idonei, censetur electa Depositoris singularis qualitas & industria, quo casu vices suas nemo alteri mandare potest cap. quoniam §. is autem, de officio & potest. jud. deleg.

43. Cæterum quia sæpissimè fieri solet, ut Beani ad Academiam venientes, Beanissimum, nescio quo velamine tegere conantur, jactitantes se alibi esse

*1. e. Phrasen
Schon.*

Omnes no

esse depositos, sanè cautela hic opus est, ut ejusmodi falsarii puniantur & pro modo tractentur, sed quia esse Beanum intrinseca quædam est qualitas, quæ non incurrit sensus, ipsa necessitas, Studiosorumque utilitas, adeoque publicum commodum postulat, ut hic tradam quædam indicia, quibus per textatos & putativos hos Studiosos dignoscere, illisq; hanc larvam detrahere possitis. Hoc opus hic labor est.

47. Quæri igitur hic potest, *An Studiosi via inquisitionis adversus aliquem procedere, illiq; status questionem movere possint?* Etiam si quæstio hæc status sit præjudicialis §. præjudiciales inst. de actionib. & odiosa, ita ut tumultus occasionem dare possit; tamen affirmativè hic respondendum, tum quia Studiosorum interest, ne subdititius, fictitius, aut adulterinus partus pro vero illorum cæui se immisceat. arg. l. temporib. 1. §. 12. ff. de vent. inspici. tum quia alias debito suo defraudarentur, Ideoque jure suo in personam & statum **B E A N I** inquirere possunt; Dummodo præcedant quædam indicia & conjecturæ quæ illum Studiosis faciant suspectum, quia inquisitio sine præcedentibus indiciis facta nulla est. l. 8 §. 1. C. de quest. l. 3. C. de off. rect. prov. l. 3. C. ad Leg. Jul. Maj. indicia sunt fama frequens. c. qualiter, c. inquisitionis de accusat. c. Deus 2. q. 1. Fuga. Nov. 53. c. 4. §. igitur l. 3. §. 4. de remilit. l. 2. §. 1. ff. de suspectis tut. Item conversatio cum Beanis aliis. Cum paribus facile congregantur, Graculus graculo assidet. Noscitur ex Socio qui non cognoscitur ex se: Cornua fer tecum, si vis colludere mecum, & quæ sunt ejusmodi Scholastica, ipsissimis Beanis ex phrasium Cornu copiarum notis.

notissima. Item *inconstantia, vacillatio, trepidatio, ti-
tubatio, timor, pallor, &c.* l. 10. §. pen. ff. de *quasi*: Quia
erubescere, pallefcere, & inconstanter loqui est si-
gnum malæ conscientiæ Lucas de penna. in l. *quoti-
es n. 42. C. de dignit.* & *proprium nocentium est tre-
pidare, ut ait Seneca Epist. 98.* Unde exclamat Ovi-
dius: O quam difficile est crimen non prodere vul-
tu: Debent etiam Studiosi de statu suspecti diligen-
ter *inquirere* apud ejus *Conterraneos & Domesticos,*
vicinus enim præsumitur scire conditionem & facta
vicini l. *Si vicinis C. de nupt. l. 1 ff. de flumin.* His ri-
tè peractis, *facilè quod quærunt, illis innotescat.*

48. *Sed quid si reus cui questio status movetur,
asserat se Depositum, cui incumbet onus probandi?* R.
Reo ip/i, tum quia depositio est facti, quæ a facti sunt,
non *præsumuntur, sed ab allegante probari debent* l.
10 ff. de non num: pec. l. 16. C. de prob. l. 1. C. qua sit long.
consuet. Tum quia olim *Beanus, hodie quoque cæ-
teris paribus, talis præsumitur* arg. l. 58. C. de probat.
l. 7. §. 2. ff. de accus. l. 5. §. 6. ff. de re milit. Mutatio e-
nim non *facilè præsumitur,* Gloss: in l. *Si verò §.*
qui pro rei, ff. qui satisd. cog. Hæ autem *præsumptio-
nes, quæ militant contra Beanum, transfeunt ne-
cessitatem probandi in eum.* l. ult. in pr. ff. quod:
met: Caus.

49. *Quanam autem comprobatio sufficiens est
ad condemnationem?* Respondeo: Quia hoc deli-
ctum difficile est probatu, ideoque sufficit probatio,
quæ fit per *indicia & conjecturas:* *Sed quid si ple-
nè innotuerit, aliquem falsò jactitasse, se esse depositum, cu-
jus*

cives

jus Criminis accusandus erit? Respondeo: Criminis falsi. Qui enim dolo & defraudandi alterius causa, falsum nomen sibi imposuit, falsi reus factus est. l. falsi 13 ff. ad L. Corn. de fals. l. Vnic. C. de mut. nom.

50. Quanam autem poena erit afficiendus? Respondeo: Et si poena criminis falsi sit arbitraria, quia tamen hoc Beani crimen exemplo est perniciosum, & alios invitat ad delinquendum, & Studiosos suo jure defraudandum, gravissima animadversione hic opus, ut unius poenae metus, alis timorem incutiatur arg. l. 13. ff. de Offic. praesid. l. 1. C. ad l. Jul. repetund. l. 14. C. de pen. Quia autem alias, hoc Jure receptum est, ut illi qui debitum abnegant, & diffitentur in duplum puniantur. Novell. 18. c. 8. Auth: contra C. de non num: pecun. l. 4. C. ad. L. Aquil. l. 2. §. 1. ff. eodem, §. rei persequenda Inst: de actionibus. Ita etiam hic qui inficias iverit & negaverit se Beanum, ut aliis sit exemplo, duplici mulctae & animadversioni subjiciendus. Ideoque o Beani discite horum exemplo imitari Cautius, & saluberrimum depositionis remedium nolite negligere, ac de vestro morbo in tempore alios certiores reddite, ne vestro jugo vobis ipsis damnum exerceatis, ne volentes vitare pluviam incidatis in puteum.

Incidit in Scyllam qui vult vitare charybdim.

Fœlix quem faciunt aliena pericula cautum.

51. Quæritur ulterius An Beanus gradum Doctoris vel Magistri possit assumere? Neg. non enim magis Doctor esse potest vel Magister, quam Asinus Homo. Tum quia non habet Jura & privilegia Studiosorū, specificè ex eo, quod in numeros relatus nō sit lex eo. 24 ff. de test. milit. Tum quia laborat infamia facti.

Ejus

Ejus siquidem fama apud viros bonos gravatur, estque
similis Alchymia, quæ facit apparere, quod non
est: infamibus autem non patent portæ dignitatum.
lib. 2. C. de dignitat. l. unic. C. de infam. cum simil.

52. Subjicienda hoc loco anceps quæstio,
An Professores Academia possint tollere jus deponendi?
Neg. Quod enim nostrum est sine facto nostro ad
alium transferri non potest. *l. ii. ff. de R. I. l. 55, ff. de O. &
Act. 2.* Beneficia concessa ne quidem ex plenitudine
potestatis sine causa sunt revocanda, Arguit enim
hoc notam inconstantia *l. Si quando C. de inoffic. te-
stam: & pro beneficio summam deponit injuriam.*
Adjuvari autem nos non decipi beneficiis oportere,
pluribus in locis rescriptum est. *l. 17. §. Sicut. in fin.
ff. Commod. l. 5. C. de revoc. don. l. 4. C. de donat. que
sub mod. l. fin. in fin. ff. de Pact. 3.* Turbatio obtinet, si
cubi Jurisdictio sistitur, ut exercitium prorsus esset, *l.
ii. ff. de vi & vi armat.*

53. Disputationem claudit, magni illa mo-
menti quæstio, *An Depositor cum Studiosis extra Uni-
versitatem etiam quem possint deponere?* Et quamvis
affirmativa de jure verior sit, cum Depositio sit actus
voluntariae Jurisdictionis qualem quis exercere potest
etiam extraterritorium *l. 2. ff. de Offic. procons. l. 7. in fin.
ff. de manum: vind. l. 7. C. de emancip. lib.* De consue-
tudine tamen contrarium servatur, quæ cum ex mul-
tis causis videri possit rationabilis, meritò vim legis
obtinere, per notiss. Quod alij ita limitant, Si ob
bellum vel pestem Academia aliò transferatur.

D

CON-

CONCLUSIO.

ATque hæc sunt, quæ in genere de Jure Beanorum profudisse volui, generalia axiomata sunt, nec curiæ sed pulpito cusa; Speciales annotatiunculas, rationes, rarioresque in augustissimis Universitatum prætoris Judicatas studio seposui, causa quam dixi. Cum cajo autem aut Sejo nihil mihi litis, interim remitto omnesque pleniorum discussionem desiderant, ad Lucam de Penna de Jure & nat: Pennal. Dyonisium Bacchum de Jure potandi, & Cornelium Cerastum Cornanum de Beanorum Cornutorum affectibus & curatione, continent enim de Beanis & Pennalibus multa notabilia. Concedo etiam hanc status quæstionem omnibus & singulis successivis horis recognoscere, à mendo & maculis, quæ ob nimiam festivitatem irrepsérunt, non solum repurgare, sed etiam duplo plus locupletare & augere, juxta illud: Turpe esse aliorum scripta referre, & nihil novi addere, *Bald. in l. 1. in fin. C. de Sacrosanctis Ecclesiis.* Ex varietate enim temporum, nova quotidie phantasmata, & variæ rerum speculationes in hominibus generantur: & ideo non est auferenda Posterioribus facultas ulterius augendi & cogitandi, idem *Bald. in b. i. C. de his qui ante apert. tab.*

Adnotationes

B. P. B.

*supra tempora
scripta et*

tao et doctrinam


riam.

COROL.

COROLLARIUM.

Liberalis dat promptè , libenter , & sine dolore ;
dat ut accipiens juvetur , non lædatur ; dat oportune : namque

Bis dat , qui citò dat , nil dat , qui munera tardat.



AD BEANOMASTIGEM

Famosissimum literatissimumque

Quis tibi sat dignas possit persolvere grates
Cornuti Domitor Depositorque gregis ?
Nam frenanda doces quàm sit ratione modoque
Turba Beanorum : Turba proterva nimis.
Immanes cicurare feras ars magna putatur,
Major at est , animal reddere tale cicur.

Eleutherius μισόκρητος.

CORNUTÆ GENTIS DO-

mitori fortissimo , Barbarici extirpa-
tori morumque instauratori

felicissimo ,

Aetus hujus publici Præsidi dignissimo

Vidit ut abjecto hæc Studiosus ludicra Cornu ,
Prærisu exultans ilia concutiit :

AR

Ast eadem Bacchans, ut vidit cornibus altis,
Et dolet, & totus solvitur in lacrymas.
Magne Beanorum Domitor, dic quaeso roganti,
Cui magis ex voto tu ipse placere velis?

Philomusus Aⁿcep^o.



FAMOSISSIMO ET RARÆ

eruditionis Beano Mastigi:

MAxime Cornutûm domitor, pro munere tanto
Munera condignè quis tibi ferre potest?

Corniger huc adsis, lege, cornua pone; recusas?

In tibi deformis Cornua ponet anus.

G.B.

F I N I S.

119 935

W. A.

211





Handwritten text on the left page, partially obscured by the ruler.

Handwritten text on the left page, partially obscured by the ruler.

Handwritten text on the left page, partially obscured by the ruler.



Inches
Centimetres

Kodak
LICENSED PRODUCT
Black

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Handwritten text on the right page, partially obscured by the ruler.

Handwritten text on the right page, partially obscured by the ruler.

Handwritten text on the right page, partially obscured by the ruler.

